

1525

M. D. XXV.

CUm in sequentis anni principio ad Ticinensem expugnationem cunctorum conversis animis , atque oculis , tantæ rei exitum sollicitis mentibus homines præstolarentur , non cessabant Cæsaris duces cum Senatu agere , ut suas copias cum Cæsareano exercitu conjungeret , cum Rege de rerum , summa dimicaturi . Ob eam causam Hieronymum Caracciolum Venetas misere , qui , Alphonso Santio ordinario Cæsaris legato , ac Mediolanensi oratore comitante , cum Patrum Collegium adiisset , ut in suam sententiam Senatum impelleret , multis , & gravissimis verbis egit : *Nunquam sibi in animum Proregem inducere potuisse , Rempublicam , quæ summa semper fide cum exteris quoque gentibus moribus , cultu , religione a nobis dissitis jura societatis coluerit , bac tempestate , hoc rerum statu Imperatori amico , & fœderato deesse velle , qui omnia cumulate præstiterit , quæ superiore anno pæta fuerint : neque satis scire , cur idem Senatus , qui paucis ante mensibus fortiter , ac summa cum laude in eadem causa arma induerit , nunc a se ipso dissentire videatur . Missos superioribus diebus a Prorege Neapolitano Carolum Aragonium ; a Francisco Sfortia Equitem Bilium , ut de Cæsaris exercitu , de hostium viribus singillatim Senatum docerent , simulque bortarentur , ut cunctatione amota , Cæsaris exercitui suas copias sociaret : nondum bac in re Senatus mentem , ac sententiam percepisse ; hinc hostes insolentiores factos nihil non audere ; Insubres quotidie majoribus calamitatibus objici ; multos hoc exemplo ab officio deterreri ; quamplures Gallo accedere ; nonnullos suspicione transversos agi ; alios in perniciem Cæsaris nova consilia agitare : neque tamen Senatus consultum aliquod fieri : Proregem existimare id accidere , quod Imperator , ac Legatus ex hac omnium copiarum conjunctione , ut fertur , detrimenti aliquid Rempublicam capere posse affirment ; tamen Proregi , & summi nominis ducibus certa ratione constare , in hoc uno salutem , dignitatemque Reipublicæ , atque Italie totius repositam esse : ne quis vero pluris hostium vires , nostraras minoris aequo aestimet ,*

cer-

*Hieronymi
Caraccioli
Cæsareano-
rum Orato-
ris oratio.*